

servet. Haec, perinde ac legalis, per se sub gravi obligat cum utriusque transgressio gravem inordinationem in societatem inducere queat. Eidem adversatur *acceptio personarum*, quae in eo est quod in distributione bonorum communium non attenditur ad eam condicionem quae personam reddat dignam bono quod distribuendum sit, sed ad alias personae qualitates quae ad illam dignitatem nihil conferant, puta amicitiam Superioris. Verum attende non fieri acceptationem personarum a privato qui bona sua confert indignis vel minus dignis, quia bona privata non debentur ex ordine justitiae dignioribus, ideoque nulla his fieret injuria. (Ball. P. n. 46) Quandonam in iniqua bonorum communium distributione laedatur justitia commutativa, dicitur n. 515. Eadem in distribuendis oneribus publicis, puta tributis, laeditur quotiens subdito majus onus imponitur quam oportet, quia subditus jus strictum habet ne sibi auferantur bona propria nisi ea proportionem quae bono communi requiritur. Cfr. n. 573. Non explicabimus hic singillatim quae officia implenda sint in distribuendis muneribus sive civilibus, sive ecclesiasticis, cum hujusmodi argumentum ad Jus civile vel ecclesiasticum magis quam ad theologiam moralem pertineat. Cfr. Lugo, disp. 34 seqq.

De justitia commutativa seu stricte dicta jugiter in toto hoc tractatu agemus.

464. QUAER. Quanta sit efficacia et obligatio legis civilis in materia justitiae.

RESP. 1^o Jus Romanum jam in plerisque regionibus abolitum est ideoque omnem vim per se obligandi amisit. Plurimum tamen prodest ejus cognitio, tum ad intellegendum Jus civile hodiernum, quod saepe ex illo derivatum est, tum ad interpretandum jus canonicum, quod se in multis dispositionibus ad Jus Romanum refert. Insuper theologo morali aliqua Juris Romani cognitio utilis, immo et necessaria est ad intellegendos AA. saeculo nostro antiquiores : quippe qui in materia justitiae quaestiones plurimas e Jure tunc vigente solverunt. Cavendum quoque ne nostris temporibus applicemus eorum solutiones quae unice innitantur positivis Juris Romani dispositionibus, jam omni vi obligante carentibus.

2^o Ubi desunt Juris Canonici dispositiones, nostro tempore vigentes, recurrendum est ad legem civilem quae uniuscujusque regionis propria est. Ita in Belgio standum est Codici civili, qui, a Napoleone I conditus, saepe ab AA. *Jus Gallicum* vocatur. Attamen attendendum non paucos articulos per leges Belgicas correctos vel additos esse. In Stat. Foed. Americae multae leges pro variis Statibus variae sunt.

3^o Ut determinetur quousque hodiernae leges civiles in materia justitiae

fiae conscientiam obligent, distinguendum est inter leges quae proprietatem directe determinant et leges latas de actibus quibus proprietas ab uno cive in alium transfertur.

Priores leges *obligant in conscientia ante judicis sententiam*. Nam juste, pro utilitate communi, ab auctoritate competente feruntur, neque ulla sufficiens ratio apparet ob quam illarum termini non sumantur in sensu proprio, sed explicentur, cum paucis quibusdam AA., de jure quod servandum sit ubi iudex appellatur. Hoc principium supponunt omnes AA. qui admittunt dimidiam partem thesauri in fundo alieno inventi dandam esse fundi domino, etiam ante judicis sententiam : quales sunt Molina, Lugo, Lessius, Ballerini, Lehmkühl aliique plurimi allegati a P. Van Gestel. (op. cit. p. 156 seqq.) Excipe :

a) Si qua lex civilis contraria esset legi naturali vel legi ecclesiasticae in materia de qua Ecclesia disponit jure proprio, non autem e mera concessione principum quam hodie jam non urgeat. Prius raro, posterius crebro contingit, cum soleant jura civilia hodierna nullatenus de sanctissimis Ecclesiae juribus curare.

b) Si constaret quamdam legem esse mere poenalem. Constare id potest vel ipsius argumenti natura, ex. gr. ubi lex thesaurum, in fundo alieno ex industria quaesitum, totum tribuit fundi domino (n. 484), vel e communi virorum timoratorum persuasionem, qui talem legem tamquam mere poenalem habent. (n. 141)

De legibus regentibus actus quibus transfertur proprietas, dicitur n. 594.

CAPUT II.

DE DOMINIO.

§ 1. NOTIO ET DIVISIO.

465. DEFINITIO. Dominium, ut hic sumitur pro specie juris in re, definiri potest : Jus disponendi pro arbitrio de aliqua re tamquam propria, nisi aliunde dominus ab aliqua dispositione facienda prohibeatur.

Jus intellegitur proprie dictum, eo sensu qui explicatus est n. 461.

Disponere pro arbitrio significat : domino, quantum ad justitiam commutativam pertinet, integrum esse ut de re sua disponat prout placuerit, eam vendendo, donando, destruendo, etc. Attamen haec dispositio

saepe aliis virtutibus adversari poterit, puta caritati, pietati vel etiam justitiae legali. Neque umquam licitus esse potest usus domini contrarius fini ob quem res temporales hominum usibus a Deo concessae sunt: is tamen abusus, puta per insanam prodigalitem, *per se* levem culpam constituit.

Additur: *de re tamquam propria*, ut discriminetur dominium a possessione etiam legitima, quae tamen non dat jus disponendi de re tamquam sua, ex. gr. de equo conducto.

Tandem verba: *nisi aliunde ab aliqua dispositione, facienda prohibeatur*, indicant plenam illam facultatem de re disponendi posse impediri ita ut dispositio sit illicita vel quandoque invalida. Id fieri potest per conventionem, testatoris voluntatem et praesertim per legem civilem. Plures restrictiones in usu domini privati legibus civilibus factae in tract. de Justitia et Jure necnon in tract. de Contract. occurrunt. Exemplo sit prohibitio minoribus facta alienandi bona sua sine quibusdam sollemnitatibus jure statutis. Hi tamen plenum dominium servant: nam nullus alius habet in res minorum jus aliquod quo illorum dominium minuat. (Lugo, disp. 2. n. 5) Facultas tales restrictiones apponendi Statui competit, eo quod exercitium juris civium ad privatum dominium ita moderari debet ut in communem utilitatem cedat. Philosophis Moralibus et Oeconomistis relinquimus curam determinandi intra quos limites haec facultas sit exercenda. (1).

Ab hac definitione non differt substantialiter ea quam in Jure Romano reperimus: "Dominium est jus utendi et abutendi re sua, quatenus juris ratio patitur." (L. 21. Cod. mandat.) Nam, ut communiter interpretantur Jurisperiti, *abuti* hic suam primariam significationem habet consumendi ipsam rei substantiam: quod elucet ex ejus oppositione ad vocem *uti* quae juridice sonat usum rei, salva ejusdem substantia. Cfr. Gousset, *Code civil comm.* ad art. 544. Idem intendit Codex civilis noster quando art. cit. jus proprietatis ita definit: "Jus fruendi et disponendi de rebus modo maxime absoluto, dummodo nullus usus fiat legibus vel statutis prohibitus." Quodsi hanc vocem *abutendi* cum quibusdam Jurisperitis intellexeremus de usu irrationabili, non magnum inde sequeretur incommodum. Nam, in Codice civili, jus intellegitur de facultate quam Status civibus concedit et contra aliorum usurpationem tuetur potius quam de facultate aliquid agendi, illaeso ordine morali. Jamvero Status officium non est impedire illos usus irrationabiles rei propriae qui neque privatis, neque bono communi *notabiliter* nocent, qualis solet esse usus rerum propriarum intemperans vel prodigus.

(1) Videtur artic. P. V. Pesch, in periodico *Stimmen aus Maria-Laach* (1 Jul. 1895) de officiis et limitibus juris proprietatis.

Tales igitur abusus lex civilis proprietario permittit, nulla poena vel impedimento opposito. Neque aliquid amplius a lege nostra intendi satis patet ex ultimis verbis quibus a domini jure excipit usum legibus vel statutis prohibitum.

466. DIVISIO. I. Praecipue attendenda divisio in dominium *perfectum* et *imperfectum*. Perfectum est illud quod tum proprietatem seu substantiam rei, tum usum rei complectitur: imperfectum, quo dominium vel ad nudam proprietatem vel ad solum usum restringitur, et quod consequenter subdividitur in *directum* (nudam proprietatem) et *indirectum* (solum usum). Hinc manifestum est in his divisionibus, excepto tantum dominio perfecto, non reperiri nisi imminutas rationes domini supra definiti.

II. Quidam AA. distinguunt dominium *humile*, quod privatis competat, et *altum*, quod competat Statui in bona privatorum. Attamen haec divisio apta est ad jura Status praeter veritatem augenda. Reapse auctoritati civili nullum dominium proprie dictum in bona privatorum competit, sed tantum facultas eas restrictiones exercitio juris proprietatis apponendi quas boni communis necessitas exigit. (n. 465) Hujus facultatis exercitium interdum usque eo progredi potest ut privati cogantur ad dominium rerum suarum in communem utilitatem abdicandum (expropriation forcée). In hoc casu, ne jura privatorum laedantur, servanda sunt sequentia:

1° Oportet ut hanc coactam cessionem domini postulet *manifesta* necessitas, vel saltem utilitas publica.

2° Non licet hujus necessitatis vel utilitatis limites transire, ex. gr. cogendo privatos ad vendenda quae fini intento minime necessaria sint et quae deinde, cum lucro Status, municipii etc., iterum vendantur.

3° Praecipue damnum privatis illatum non tantum ex parte, sed, quantum fieri potest, *perfecte* compensandum est: id enim postulat aequalitas justitiae commutativae propria. Sic quando aedes, invito domino, emuntur, non sufficit ipsius aedificii pretium solvere, si dominus per illam coactam domicilii mutationem commercio lucrativo privatur. Cfr. Van Gestel, op. cit. p. 121 seqq.

§ 2. DOMINII OBJECTUM ET SUBJECTUM.

467. Proprium domini objectum constituunt ea quae dicuntur *bona fortunae* et sunt "illae res quae, extra hominem constitutae, humano usui inservire possunt atque ita illius potestati subjici ut alienam occupationem excludant." (Marres, de Just. l. 1. n. 11) Haec dividuntur:

1^o In res *corporales* et res *incorporales*. Priores sunt quae sensibus percipiuntur; posteriores quae intellectu tantum percipi possunt, ex. gr. hypothecae. Haec proprie *jura* nuncupantur.

2^o In res *mobiles* et *immobiles*. Hujus divisionis sensum solent accurate tradere Codices civiles, quorum dispositiones omnino in conscientia servandae sunt, si quando hae voces in contractu vel in testamento occurrunt.

Juxta C. C. (a. 517), bona sunt immobilia vel *natura sua* vel *destinatione* vel *objecto cui applicantur*. Sic immobiles sunt natura sua, agri et segetes quae solo adhaerent (aa. 518, 520), destinatione, animalia fundo colendo addicta (a. 524), objecto cui applicantur, ususfructus rerum immobilium. (a. 526) Mobiles autem sunt vel *natura sua* ex. gr. animalia, scamna (a. 528), vel *legis determinatione* ex. gr. census perpetui vel temporanei. (a. 529) Hae subdividuntur in *fungibiles* seu quae usu consumuntur, ut triticum, pecunia etc. et *non fungibiles*, quae usu non consumuntur, ut libri, census.

Supponimus hic e Philosophia morali probatum: jus esse homini a natura datum ut possideat privatim tamquam suas res non tantum mobiles, sed et immobiles, quin et ipsum solum. Haec luculente contra Socialistarum commenta demonstrantur in Encycl. Leonis XIII de conditione opificum.

Similiter, juxta communiorem sententiam, homo perfectum dominium in famam suam habet. Quatenus peccare possit eam prodigendo, jam dictum est n. 424.

In seipsum autem, i. e. in animae facultates et corporis membra, homo dominium perfectum non habet, ut liquet ex iis quae de quinto Decal. praecepto dicta sunt nn. 361 seqq.

In alios autem homines pariter hoc dominio caret; non repugnat tamen juri naturae unum in alterum habere dominium utile. Nihil enim inhonesti per se cernitur in eo quod unus jus habeat ad alterius operas, sive ad tempus, sive etiam in perpetuum. Nihilominus servitus perpetua innumeris malis et abusibus viam sternit: quare hodie, adnitente Ecclesia, in omnibus regionibus christianis abolita est. Semper vero illicitum fuit liberos homines sine justa causa, qualis esset belli necessitas vel sceleris punitio, invitos in servitutem redigere, ut fieri solet in commercio Nigritarum, quod plures RR. PP. acriter reprehenderunt.

468. Subjectum domini proprie dicti capax est sola natura rationalis: unde prorsus incapacia sunt bruta vel alia entia inferiora.

Capacitas autem illa ad omnes homines extendenda videtur, etiam ad infantes vel perpetuo amentes. Quod postremum difficultate theoretica non caret, quia neutri possunt habere voluntatem accipiendi bona

vel de iis disponendi. Attamen communissime admittunt AA., etiam solo jure naturae spectato, utrosque esse domini capaces, eo quod iis inest natura humana cum suis exigentiis et radicalibus facultatibus. Quodsi hae facultates per accidens ab exercitio suo prohibentur, id probat tantum necessarium esse ut huic defectui per curatores suppleatur. Ceterum omnium gentium juribus domini capacitas ipsis agnoscitur.

Postquam ita generatim de dominio dictum est, in sequentibus paragraphis agetur de iis domini speciebus quae praesertim quaestionibus moralibus locum praebent.

§ 3. DE DOMINIO FILIORUMFAMILIAS.

469. Filiifamilias, proprio sensu, intelleguntur ii qui vel legitimi sunt vel per subsequens matrimonium legitimi (C. C. aa. 331-333) et nondum sunt emancipati vel majores. (a. 372)

Emancipati sunt, juxta nostrum codicem, quicumque matrimonium contraxerunt (a. 476) vel qui, completis annis 15, a patre vel, hoc deficiente, a matre emancipantur (a. 477); similiter orphani, 18 annos nati, a consilio familiae emancipari possunt. (a. 478)

Minores sunt ad annum 21^{um} completum. (a. 388)

470. DISPOSITIONES JURIS.

Bona filiorumfamilias, ex Jure vigente, in duplicem classem dividuntur. Prior complectitur ea quae filii labore vel industria separata acquirunt aut quae ipsis legantur cum hac expressa conditione quod parentes eorum usumfructum non habebunt. (C. C. a. 387) In posteriore classe sunt omnia reliqua bona quae filius acquirat, puta legatis, donationibus, etc. (1)

Jamvero de horum bonorum dominio ita disponit Jus nostrum:

I. Bonorum prioris generis habet filiusfamilias tum dominium, tum usumfructum (a. 387); administratio tamen penes parentes vel tutorem est, donec ipse fiat major vel emancipatus. (aa. 389, 481)

(1) Ut intellegantur termini apud veteres AA. occurrentes, his subjicimus distinctionem quae, e Jure Romano, inter bona filiorumfamilias vigeat. Vid. distinguebantur: castrensia, seu occasione militiae acquisita; quasi-castrensia, seu e munere aliquo, puta medici, provenientia; adventicia, quae scil. filio donata erant, non tamen intuitu patris, vel quae filius aliunde quam e bonis paternis lucratus erat; profecticia, quae filio, intuitu patris, donata erant vel e bonis paternis proveniebant, ex. gr. ope negotiationis.

II. Bonorum posterioris generis filius habet quidem dominium, sed ususfructus cedit patri, vel, hoc deficiente, matri, donec ipse expleverit annos 18, nisi antea emancipetur. (a. 384)

471. QUAER. I. Quodnam jus filiisfamilias competat in laboris sui lucrum.

RESP. 1° Si filius aliquid lucratur sua tantum industria et labore, agendo ex. gr. fabrum lignarium, scriptorem, pictorem, etc., lucrum in ejus dominio est, sed debet :

a) Ex justitia, resarcire patri expensas quas in ipso alendo facit : pater enim non tenetur alere filium, propria bona habentem. Excipe si filius sit talis conditionis ut pater talem laborem rationabiliter ab eo exigere nequeat.

b) Ex pietate, subvenire gravi parentum vel fratrum ac sororum necessitati. (n. 352)

Propter hanc duplicem obligationem, plerique juniores opifices integrum salarium parentibus suis tradere debent. Excipe tamen, si quando majus stipendium quam plerique solent lucrarentur vel laborem aliquem plane extraordinarium assumerent, puta laborando ultra horas consuetas, die Dominica nuntios deferendo, etc., aut si parentes ultro consentirent ut liberi aliquam salarii sui partem sibi reservarent : quod tamen raro contingit ubi parentes tenuis sunt conditionis.

2° Quando filius negotiatur ex bonis paternis et patris nomine, lucrum ad patrem pertinet. Nam opera quam impendit in hac negotiatione est aliquid pertinens ad patrem, qui res suas per filios quos in potestate habet administrare potest. Verum ad filium spectat lucrum quod faciat labore prorsus extraordinario et indebito, vel negotiatione quam proprio nomine et periculo faciat cum bonis paternis, sibi concessis vel clam ablati.

3° Probabilis videtur sententia quam, inter alios, tuetur Lessius (de Just. et J. l. 2. c. 12. n. 81) : filium, qui gerit negotia patris, posse, deductis expensis quas pater facit in eo alendo, pro suo labore et industria, tantumdem accipere, quantum daretur extraneo, nisi intenderit gratis hanc operam suam dare.

Tres condiciones ibidem requirit Lessius : primo, ut filius protestetur se velle lucrari, quod tamen non est necessarium si forsan ob reverentiam patris id facere non audeat ; deinde, ut constet parentem non facturum esse per se, vel non inventurum esse qui gratis vel minoris id faciat ; tandem, ut ususfructum illius lucri non sibi vindicet ante suam emancipationem vel patris mortem. Haec sententia praesertim applicanda venit quando unus e filiis vel filiabus pro parentibus laborat, reliquis otiantibus vel industria separata sibi consulentibus ; aequitati enim

prorsus repugnat talem prolem optime merentem teneri ad carendum omni stipendio.

Caute tamen confessario agendum esse cum filiis qui occulte se compensare voluerint, monent DD. Ideo curandum ut, ubi id fieri poterit, aperta conventionem cum parentibus sibi provideant. Post factam compensationem, facilius a restitutione facienda excusandi erunt.

De hac satis difficili quaestione cfr. Lugo, de Just. et J. disp. 5. sect. 2 ; Laymann, l. 3. tr. 4. c. 8. n. 12 ; Ball. P. n. 103 seqq. ; S. Alph. m, 488 et 544 ; Lehmkühl, l. n. 889 seqq.

172. QUAER II. Num peccent contra justitiam commutativam filii qui res sibi a parentibus concessas in usus vanos et inutiles adhibeant, ex. gr. recreationibus immodicis impendendo pecuniam sibi tributam ad alimenta comparanda vel studia peragenda.

RESP. Solutio pendet ab intentione parentum manifestata vel rationabiliter praesumpta. Si illi intenderunt dominium illarum rerum absolute in filios transferre, injuncto tamen mandato ut eas in talem usum honestum adhibeant filii, hi peccant tantum contra oboedientiam. Si vero intenderunt parentes tales res unice ad hunc honestum usum concedere, neque ampliorem facultatem filiis facere, isti peccant etiam contra justitiam. Haec posterior hypothesis plerumque verificatur de pecunia, libris, vestibus. Ideo ad restitutionem per se tenentur filii quotienscumque per illas vanas expensas cogunt parentes ad plus in sui favorem expendum. Saepe tamen, ut notat Lessius (l. c.), a restitutione excusantur, quia praesumere possunt parentes facile condonatos esse, si filii rogare auderent.

Ubi vero ab aliis quam a parentibus quaedam tribuuntur, plerumque donatio fit absolute : quare si munera contra donatorum intentionem in usus vanos consumantur, prodigalitas committitur, non injustitia. Haec tamen admitteretur in casu satis raro quo donatio facta esset sub expressa vel tacita condicione ut munera unice ad aliquem determinatum finem adhiberentur.

§ 4. DE DOMINIO UXORUM.

473. DISPOSITIONES JURIS.

1° Societas conjugalis quoad bona sua regitur eo pacto quod a conjugibus initum est, antequam matrimonium contraherent ; lex supplet tantum defectum pacti privati. (C. C. a. 1387)

2° Si nullus specialis contractus initus est, vel si conjuges declarant